



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis

Marchantius, Jacobus

Coloniæ Agrippinæ, 1655

III. De Ministerio Sacramentor[um].

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41699**

idiomatis adhibeantur, censetur mutatio accidentalis. Ex. gr. si quis dixerit pro baptiso, abluo; aut si quis partim gallicè, partim latinè dicat: *je te baptize, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

### C A P I T U L U M III.

*De ministerio Sacramentorum.*

I. **Q**UÆRO. Quomodo peccet, qui in statu peccati mortalis ministrat Sacramentum? *Resp.* dupliciter. 1. si ad ministerium sit ex officio consecratus & ex officio etiam ministret, peccat mortaliter. 2. si non sit consecratus ad ministerium, aut certè non ministret ex officio, non censetur peccare mortaliter. Exemplis declaro. Mulier baptisans in peccato mortali non peccat mortaliter, quia ad id muneris non accepit consecrationē, aut gratiam, quæ obligetur tale ministeriū in statu gratiæ exhibere: sicut sacerdos eam accipit in ordinatione. Similiter sacerdos privatim sine solemnitate baptisans, non peccat mortaliter: etsi in peccato existat, juxta communioem doctrinam

nam

nam Theologorum. Quia sic baptifans non cenfetur fe exhibere ut miniftrum ex officio, fed potiùs fubvenire neceffitatẽ patienti, ficut faceret quilibet vir, aut mulier tunc baptifans. Ex his, cafus fequentes refolvi poffunt.

1. *Cafus.* Quid dicendum de facerote, qui affifit & benedicit matrimonio in ftatu peccati mortalis? Resp nõ peccare mortaliter, quia non eft minifter Sacramenti, fed folùm benedictionem adhibet, tamquam cæremoniam accidentalem, nõ tamquam formam effentialem; quamvis ejus præfentia neceffaria fit poft Tridëtinum, tamquam testis principalis & auctortativi, nomine Ecclefie præfidentis tali contractui, per Ecclefiam approbando.

2. Quid de contrahentibus, cùm ipfi dicantur miniftri Sacramenti Matrimonii, an peccent mortaliter, fi fint extra gratiam? Resp. peccare quatenus fufcipientes funt, quia tenentur in gratie ftatu Sacramentum fufcipere. Non tamen peccant mortaliter, quatenus

S

tenus

renus ministri sunt, quia non sunt ministri ad illud munus consecrati, nec specialem ad id gratiam acceperunt.

3. Quid dicendum de Sacerdote, qui puero domi baptisato, postea in templo solemniter adhibet caeremonias in peccato mortali existens? Resp. non peccare mortaliter, quia non est administratio Sacramenti, nec actio ex opere operato gratiam sanctificantem conferens. Idem respondent Theologi de Episcopo conferente primam tonsuram, conficiente Chrisma, benedicente Oleum, de sacerdote etiam benedicente aquam.

4. Quid dicendum de Diacono cantante Evangelium, & sacerdoti ministrante? R. si in mortali peccato id facit, multos Theologos eum condemnare mortalis. In quam sententiam non parum inclinor, rationibus sequentibus impulsus. *Prima* quod ad dignè ministrandum, gratiam acceperit in ordinatione, idque per solemnem manuum impositionem, per quam indicatur ejus ministerium esse grave, ut

potè

potè proximè accedens ad mysterium  
Eucharistiæ. Unde cùm offertur calix,  
Diaconus contingens brachium. Sa-  
cerdotis, tamquam proximè coope-  
rans sacrificio & sacratissimo myste-  
rio, solet dicere cum sacerdote: *Offe-  
rimus tibi Domine calicem, &c.* prout  
præscribitur in Missali Rom. 2. ratio  
ex Apost. desumitur 1. Tim. 3. ubi de  
Diaconis agens dicit; *Ministrent nul-  
lum crimen habentes.* Ubi licet Apосто-  
lus insinuare velit, non esse ordinan-  
dos Diaconos, nisi qui irreprehensi-  
biles inventi fuerint, & per examen  
probari: tamen etiam rectè ad futu-  
rum refertur ubi insinuet eos teneri  
irreprehensibiles se gerere in vita &  
officio, nec criminis alicujus conscios  
ad ministerium ordinis sui debere ac-  
cedere. De quo iterum præcessit: *Ha-  
bentes mysterium fidei in conscientia pu-  
ra,* id est tractantes Eucharistiæ my-  
sterium, cui debent cooperari, purâ  
mente & manibus; ut aliqui interpre-  
tantur. Nam Eucharistia antonomas-  
tice *fidei mysterium* solet vocari, & o-

lim Diaconi illam etiam populo administrabant Summatim ex his omnibus quæ de Diaconis & eorum qualitatibus scribit S. Paulus, rectè saltem colligitur & infertur, grave esse eorum ministerium & magni pendendum; ut non mirum sit, si etiam dicatur illi annexa gravis obligatio illud in gratiæ statu obeundi. 3. ratio, quæ me non parùm movet, est, quod in sacris historiis reperiam pluries contigisse, ut Spiritus S. super tremendis mysteriis non descenderit, prout tunc solebar, idque ea solùm ex causa, quod Diaconus assistens sacerdoti sacrificanti cum conscientia impura assisteret. Cujus rei exemplū habes Prati spiritualis, c. 150. ex Sophronio. Item in vita S. Epiphaniæ apud Surium 12. Maii; idque ut ibi referatur quidam Diaconus leprâ percussus, quod indignè ministraret. Hoc autem non videtur fore nisi ministrando mortaliter peccaret. Item in vita S. Chrysostomi. 27. Januarii apud Surium iterum lego impeditum Spiritus sancti descensum visibilem, ob

Dia

Diaconum in peccato assistentē: quod rursus non videtur fore, nisi ministerium tale foret grave peccatum. Has historias sacras plenius referam, cum de Sacramento Ordinis, & de Diaconatu agam, *Tract 7.*

2. *QUAERO. An Sacerdos peccet mortaliter non solum dum in peccato mortali consecrat: sed etiam dum communionem administrat, idque toties, quot sunt personae communicantes? Resp. ex communi sententia Theologorum, eum peccare mortaliter ministrando communionem, quia est grave ministerium ad quod tenetur se per gratiam disponere. Est communis contra Vasquez & nonnullos recentiores, inter quos Diana. Sed de hoc latius infra de Eucharistia. An verò toties, quot personis distribuit, non uniformiter loquuntur Theologi. Aliqui asserunt toties peccare, quia tot sunt actus ministrandi, sicut quot personas absolvit in peccato, toties peccat, quia toties poenitentiae Sacramentum administrat. Ego rem moraliter considerandam opinor:*

nor : unde dum multis simul concurrantibus administratur Eucharistia, licet plures ministrandi actus physice interveniant, moraliter tamen loquendo censetur unum ministerium, in quod una etiam voluntate fertur. Sacerdos, per quam vult communionem dare plebi hic & nunc se presentanti. Recte ergo dicitur esse unum peccatum, dum continuat, & quamdiu notabilis mora aut interruptio non intervenit. Nam si postquam populi pars communicavit, applicet se Sacerdos aliis actionibus aut functionibus, & postea iterum ministret aliis, censetur pluries peccare ob interruptionem. Itaque quod plures personae simul concurrant, videtur quodammodo materialiter considerandum. Sic quod centum hostias simul in peccato mortali existens Sacerdos consecrat, aut jam praconsecratas sumat, non inducit plura peccata: similiter licet sumptio calicis & Corporis diversae sint actiones physicae, tamen non constituunt diversa peccata

cata  
quia  
ticipa  
incat  
tribu  
sacri  
pecca  
grava  
ange  
nitra  
Ne  
puto  
quot  
morte  
liter  
quia  
varia  
citur  
sacra  
ctific  
vg. i  
gios  
cens  
pecc  
3.  
mort

cata



cata in Sacerdote indignè sumente,  
quia sunt una moralis sumptio & par-  
ticipatio ejusdē sacrificii. Sic dicas esse  
in casu nostro (moraliter loquēdo) di-  
stributionem, ut plebs participet de  
sacrificio & Sacramento, & sic unum  
peccatum, licet ob continuationē ag-  
gravari non negem, sicut & meritum  
augetur, dum multis simul pie admi-  
nistratur.

Neque verò similiter judicandum  
puto de Sacramento Pœnitentiæ, quia  
quot pœnitentes absolvit in peccato  
mort. toties censetur peccare morta-  
liter. Ratio diversitatis afferri potest,  
quia quot personæ accedunt, toties  
variatur judicium, novumque confi-  
citur Sacramentum, & toties forma  
sacramentalis repetitur, animam san-  
ctificans. Quod si plures in necessitate  
v.g. in naufragio, aut in domo conta-  
giosa jacentes simul absolveret, di-  
cens: *Ego vos absolvo*; jam solum unum  
peccatum censeretur committere.

3. QUÆRO. *An Sacerdos in peccato  
mort. transferens Eucharistiam de altari*

*in alium locum, peccet mort. aut fortè de  
pixide extrahens, ut exponat in die solem-  
ni?* Resp. non videri hoc adeo grave,  
ut peccatum mort. involvat, quia non  
est actio ad animæ sanctificationem  
ordinata. Sic nec peccat mortaliter  
Clericus, vel etiam laicus, tangens in  
mortali Calicem, Corporalia, &c. li-  
cet ab aliqua irreverentia non excusa-  
tur.

#### C A P U T I V.

*De dispositione ministris.*

**I.** **Q**UAERO. *An teneatur prae-  
mittere Confessionem, si peccati mor-  
talis sit conscius?* Resp. non teneri. suf-  
ficit enim quod contritionem eliciat,  
per quam se sufficienter ad gratiam di-  
spōnit. Unde Confessio est consilii, nō  
stricti praecepti. De qua re in Rituali  
Rom. jussu Pauli V. edito sic legitur:  
*Sacerdos si fuerit sibi peccati mortalis  
consciens, ad Sacramentorum administra-  
tionem non audeat accedere, nisi prius  
corde pœniteat: sed si habeat copiam con-  
fessarii, & temporis, locique ratio ferat,  
convenit confiteri.* Nempe hoc consu-  
litur